

33, n. 6; Layman in c. *Venerabili*, n. 4 et 5. b. t. et alii. Accedit ratio: quia talis delegans utitur jure suo, et quasi re propria; simulque in concessione jurisdictionis semper intelligitur excepta superioris auctoritas, arg. c. *Venientes*, 19. de *Jurejurand.* cum similibus.

137. *Delegatus principis subdelegans, re integra potest etiam subdelegationem revocare.* — Verum loquendo de subdelegatione jurisdictionis, seu causæ per delegatum principis facta, et an ipse hanc revocare valeat, opus est distinctione. Et quidem imprimis certum est, quod re integra possit delegationem pro suo arbitratu libere revocare, causamque illam dijudicandam ipsemet reassumere: si quidem jurisdictionis, qua subdelegatus nondum usus fuit, non censetur in istum efficaciter transiisse. Textus est in c. *Quamvis*, h. t. in 6.

138. *Et quid, si res amplius non sit integra?* — Si autem res amplius non sit integra, puta quia subdelegatus negotium quasi jam cœpit, saltem citando partes; tunc est distinguendum, an delegatus Papæ totam suam jurisdictionem respectu illius causæ subdelegaverit, vel dumtaxat partem, servando sibi videlicet aliquid de jurisdictione respectu illius. Utrumque enim fieri posse, patet ex c. *Super questionum*, § 1, et § *Porro*, h. et c. *Judex*, 5. eod. in 6. et alibi.

139. *Et quid, si res amplius non sit integra?* In priori casu, seu quando delegatus Papæ, causam sibi commissam subdelegavit in totum, nihil sibi de jurisdictione reservando; tunc re amplius non integra, seu quando subdelegatus jurisdictione uti jam cœpit, saltem citando partes, nequit is amplius revocare subdelegationem, et commissam alteri jurisdictionem; prout habetur c. *Venerabili*, 37, h. t. juncta Glossa, et doctores ibidem. Ratio est: quia talis delegatus Papæ jam suo functus est officio committendo in integrum alteri vices suas, ut ibidem loquitur Pontifex. Accedit, quod ipse respectu talis causæ privatus existat omni jurisdictione, utpote qua tota se abdicavit delegando alteri simpliciter totum negotium, quæque in hunc jam efficaciter transiit, atque in eo per usum ipsius perpetuata fuit; ut cit. c. *Quamvis*, h. t. in 6. argumento a sensu contrario desumpto; atqui carens jurisdictione nequit revocare delegationem alteri factam; ergo.

140. *Et quid, si res amplius non sit integra?* — Contra in casu posteriori, seu quando

delegatus Papæ non totam causam subdelegavit, sed dumtaxat partem ejus, aliquid de jurisdictione sibi reservando; tunc poterit per ipsum re etiam non integra subdelegatio revocari. Glossa in c. *Super questionum*, § *Si vero*, §. *Si non possunt*, h. t.; Barbosa in cit. c. *Quamvis*, n. 6.; Pirhing, h. t. n. 199. et alii. Ratio est: quia delegatus Papæ subdelegans dumtaxat partem causæ, seu aliquid de jurisdictione sibi reservans, manet adhuc superior respectu talis causæ, utpote respectu cujus retinet jurisdictionem: unde etiam, si a subdelegato appellari contingat, ad eum, non vero ad primum delegantem, seu Papam appellari debet, c. *Si delegatus*, § fin. h. t. in 6. Ergo, sicut judex ordinarius, ita et talis delegatus, potest pro suo arbitrio revocare delegationem, seu subdelegationem etiam re non integra, juxta cit. l. *Judicium*, ff. de *Judiciis*.

141. *Revocatio factæ delegationis non antea sortitur effectum, donec sit delegato intimata.* — Resp. II. Nihilominus sive judex ordinarius, sive delegatus revocet delegationem, aut subdelegationem causæ, non antea talis revocatio censetur vim, atque effectum suum sortiri, donec ea delegato fuerit legitime insinuata. Ita desumitur ex c. *Cum contingat*, 24, de *Rescript.*, et c. *Audita* 4, de *Restitut. spoliat.* et c. *Si duobus*, 7 de *Appellat.* cum similibus; ac tradit Glossa in c. *Auditis*, §. *Ad illum de Procuratorib.* inter alia docens, quod in judice tenet, quod facit, donec intelligat jurisdictionem revocatam. Abbas in d. c. *Audita*, n. 13, de *Restitut. spoliat.*; Sanchez, lib. III, de *Matrim.* disp. 30, n. 11. et alii. Ratio est: quia, per quas causas res nascitur, per easdem dissolvitur, ut cap. i. de *Reg. jur.*; atqui jurisdictionis non prius acquiritur judici delegato, vel subdelegato, nisi post debitam ejus intimationem, seu præsentationem litterarum delegationis; ut c. *Super eo*, 12, § fin. de *Appellat.*; ergo nec aufertur. Accedunt incommoda, quæ alioquin facile sequi possent, et ad quæ evitanda etiam error communis jus tribuit; ut l. *Barbarius*, ff. de *Offic. prætor.*

142. *Nisi princeps aliud expresse declaret.* — Intellige cum Abbate, loc. cit. et aliis, dummodo princeps, puta Papa, expresse non declaret, se nolle valere gesta per delegatum extunc, quando eum revocat, decernendo v. g. irritum et inane quidquid extunc, seu a tempore factæ revocationis, scienter vel ignoranter per eundem contigerit attentari.

Tunc enim hæc clausula habebit effectum quoad inducendam nullitatem actus in contrarium gesti; licet non quoad incurrendum reatum culpæ, vel pœnæ, donec dicta revocatio fuerit delegato legitime intimata, sive per litteras revocatorias, sive per certum nuntium; ut in simili dictum est tit. de *Constitutionibus*, § 5. n. 108 et 109. Alioquin vero, ac seclusa tali expressa declaratione, non videtur Papa velle revocare, et annullare processum, interea temporis a delegato bona fide, ac ignorata sua revocatione factum.

143. *Vel nisi præjudicium tertio inde non sequatur.* — Verumtamen hoc ultimum, sicut et data conclusio, dumtaxat procedit in casu, quando exinde præjudicium generaretur tertio, seu parti: secus, si nullum inde præjudicium sequitur tertio. Unde, si Papa cuiusdam indulgeat, quod excommunicari non possit, non tenet excommunicatio, licet fiat a iudice ignorante talem concessionem, seu restrictionem suæ jurisdictionis, arg. cap. i. §. *Nec obstat. de Concess. præbend.* in 6. Abbas, ubi supra, n. 14.

144. *Lapsu temporis præfici cessat jurisdictio delegati.* — Quæritur V. Utrum, et quomodo officium, atque jurisdictio delegati cesset lapsu temporis, aut finito negotio? Resp. I. Certum est, quod quando judici delegato committitur causa infra certum tempus decidenda, lapsu præfixi diei expiret ipsius jurisdictionis; nisi terminus ante lapsum ejusdem diei de communi partium consensu fuerit prorogatus. Textus est in c. *De causis*, 4. et c. *Consuluit*, 24. h. t. Ratio est clara: quia tunc jurisdictio non nisi limitate, seu ad tale tempus delegata videtur.

145. *Et quomodo illud sit computandum.* — Porro terminus delegationis incipit a die præsentationis litterarum delegationis, casu quo terminus per numerum dierum, mensium, vel annorum statutus est, arg. c. *Super eo*, 12. in fine. de *Appellat.* Secus, si ad certum diem, v. g. ad festum sancti Michaelis archangeli, vel mensem sit decretus, arg. cit. c. *Consuluit*, h. t.

146. *An partes communi consensu terminum illum possint prorogare?* — Additur notanter in conclusione, « nisi terminus ante ejus lapsum, » etc. Nam spectato jure communi partes communi consensu possunt terminum illum prorogare, sicut jurisdictionem iudicis delegati ulterius extendere, dummodo hoc fiat ante lapsum diei præfixæ, cit. c. *De Causis*, h. t. Secus, si tempus illud jam fue-

rit elapsus: nam hoc finito statim expirat jurisdictio delegati, sicut amplius nequit prorogari, quia quod non est, prorogari non potest. Abbas, in cit. c. *De Causis*, n. 7. et alii communiter. Verum de prorogatione jurisdictionis plura in lib. II, tit. II, *De Foro competenti*, § 6. per totum.

147. *Cessat insuper jurisdictio delegati finito negotio ad quod iudex datus fuit. Et quando negotium censeatur finitum?* — Resp. II. Insuper jurisdictio delegati cessat finito negotio, ad quod iudex datus fuit, adeo ut postea eisdem sese interponere amplius non possit: quia jam censetur functus suo officio. Textus, et doctores in c. *In litteris*, 9. h. t. Atque hoc accidit imprimis post executionem sententiæ definitivæ, quando eam delegatus exequi potest; ut cit. c. *In litteris*, juncta Glossa in *Casu*, et §. *Præcepit*. Vel, si eam executioni mandare nequit (prout de delegato inferioris a principe supra, n. 145, dictum fuit) post latam definitivam sententiam; ita ut si semel pluris, vel minoris condemnavit, amplius corrigere sententiam suam non possit. Semel enim, sive bene, sive male officio, functus est; sicut desinit esse iudex. l. *Judex*, ff. de *Re judicat.*

148. *Recusatio iudicis, quid, et quando fieri possit?* — Quæritur VI. Utrum, et quomodo recusatione cesset officium iudicis delegati? Ubi prænotandum, quod *Recusatio*, quantum ad propositum, sit iudicis suspecti, et jurisdictionis ejus, ob justam causam suspicionis contra eum propositum, canonice allegata declinatio: ut si delegatus sit alterius partis litigantis dominus, c. *Causam*, 17. h. t.; aut consanguineus, vel affinis, sive nimum familiaris, c. *Insinuante*, 25, eod.; vel ipsi recusanti inimicus, ac hujusmodi, can. *Quod suspecti*, 3, q. 5. Quo prænotato,

149. *Per eam extinguitur officium iudicis delegati.* — Resp. I. Recusatione legitima proposita, et pronuntiata super eam sententia, seu quod iudex delegatus sit suspectus, officium hujus omnino extinguitur; textus est in c. *Judex*, 5, h. t. in 6, et concordant alia jura proxime allegata.

150. *Dummodo legitime fuerit proposita.* — Dicitur primo, « Recusatione legitime proposita. » Nam, si hæc canonice non proponatur, potest delegatus, etiamsi ut suspectus recusari valeret, vi factæ sibi commissionis causa procedere, et quod justum judicaverit pronuntiare. Vel, si maluerit, ac delegatus Papæ existat, potest licite alteri causam sub-

delegare, antequam contra ipsum recusatio proponatur. Et si quidem causam alteri commiserit in totum, recusari ulterius, aut facta per eum commissio, sive subdelegatio impugnari non potest: secus, si in parte solum commisisset, atque aliquid de jurisdictione sibi reservasset. Patet hoc ex cit. c. *Judex*. h. t. in 6. et amplius tradit Barbosa ibid. n. 3. et seqq. alique doctores.

151. *Et pronuntiata super eam sententia.* — Et additur, « pronuntiata super eam sententia. » Nam post propositam etiam recusatorem, atque hanc jam probalam, nondum in totum extinguitur jurisdictione talis delegati suspecti: quia potest adhuc causam illam alteri committere, non quidem se solo, sed accedente recusatoris assensu. Secus, si super causa suspicionis jam fuerit pronuntiatum, atque judex delegatus sit suspectus pronuntiatum: quia tunc omnino desinit esse judex, ita ut nec de consensu recusatoris possit causam illam alteri committere, seu subdelegare. Patent hæc omnia ex cit. c. h. t. in 6. et tenet communis doctorum.

152. *Causa recusatorem judicis delegati regulariter debet tractari per arbitros.* — Resp. II. Causa recusatorem judicis delegati, seu an suspicio contra ipsum objecta sufficienter probetur, regulariter per arbitros ad hoc a partibus eligendos tractari, ac definiri debet. Ita habetur in c. *Suspicionis*, 39, h. t. Ubi idcirco additur, quod ne forsitan negotium principale plus debito protrahatur, possint dicti arbitri assignare partibus competentem terminum ad profundam suspicionis causam, et si ipsimet arbitri fuerint discordes in sententiando, iidem ut in unam sententiam conveniant, vel tertium concorditer advocent, per eundem judicem delegatum sint cogendi.

153. *Exceptis tribus casibus: et quibus?* — Dicitur nolanter in data conclusione, *regulariter*. Nam fallit ipsa in tribus casibus, c. *Si contra*, 4, h. t. in 6. expressis, in quibus causa suspicionis non coram arbitris tractari debet. Primus est, quando recusatur unus ut suspectus e duobus delegatis Papæ cum clausula, « Quod si ambo interesse non possunt, alter eorum in causa procedat: » nam tunc eorum altero condelegato non recusato, causa suspicionis proponenda, et probanda est. Secundus est, quando recusatur delegatus episcopi: quia tunc causa recusatorem coram episcopo est probanda. Tertius casus est quando recusatur officialis episcopi: et tunc

idem est dicendum, haud obstante, quod ad episcopum ab ejusdem officiali appellari non liceat.

154. *Dantur nonnulli alii modi, quibus officium judicis delegati cessat.* — Tacentur nonnulli alii modi levioris difficultatis, quibus finitur officium judicis delegati. Ut fit, si plures delegati simpliciter dati sint, ac unus eorum moriatur: expirat enim etiam potestas cæterorum, c. *Uno delegatorum*, 42, h. t.; vel si unus plurium delegatorum incidit in impotentiam juris, vel facti, nec est apposita illa clausula, « Quod si non omnes, » etc. arg. c. *Sciscitatus*, 14, de *Rescript.* ac notat Hostiensis in *Summa*, n. 11, h. t. Item, si litteris delegationis delegato oblatis, partes contestentur litem coram judice ordinario: nam facta per hunc citatione partium, perpetuatur jurisdictione ipsius, arg. c. *Gratum*, 20 et c. *Licet undique*, 30, h. t. Partes enim tunc tacite censentur renuntiasse factæ delegationi, ubi litem, secuta hujus contestatione coram judice ordinario, coeperunt, arg. l. *Ubi acceptum*, ff. de *Judiciis*. Hostiensis, cit. num. 11. et num. 8, §. *Quid ergo si libellus*.

§ VII.

DE APPELLATIONE A JUDICE DELEGATO, VEL SUBDELEGATO; UBI ET DE CONSERVATORIBUS.

155. *Potest appellari a delegato, vel subdelegato.* — Quæritur I. An a delegato, vel subdelegato, possit appellari? Resp. I. Certum est, quod a delegato, etiam Papæ, ac sententia per ipsum lata, qua quis injuste se gravatum existimat, appellari liceat: dummodo is non sit datus cum clausula, ut procedat « Appellatione remota, » nec aliud quid obstet appellationem removens. Patet hoc ex c. *Super questionum*, § *Verum*, et seqq. h. t., cum similibus. Accedit ratio: quia appellatio est species quædam defensionis, c. *Cum speciali*, 16, § *Porro de Appellat.*, sicque jure naturæ omnibus regulariter permissa esse debet: nisi ex specialibus rationibus princeps, ut puta Papa, cuipiam causam duxerit delegandam sub clausula illa, « Appellatione remota; » vel ob alias causas jura litigantibus appellationem denegent: de quibus Glossa, in c. *Romana*, de *Appellation.*, in 6, ac suo loco amplius dicitur.

156. *Et quid de delegato Papæ dato cum clausula, Appellatione remota. Et subdelegato*

per ipsum? — Resp. II. Quamvis a delegato Papæ dato cum clausula, « Appellatione remota, » appellari non possit, nisi ubi istud a jure expresse indulgetur, ut c. *Pastoralis*, 53, de *Appellationib.*, juncta Glossa, §. *Expresse*, et doctores ibid.; si tamen delegatus ille alteri causam, vel partem ejus subdelegaverit, licitum est ab hoc subdelegato appellare. Ita desumitur, ex cit. c. *Super questionum*, § *Si vero*, h. t., ac notat Abbas, ibid., n. 3, cum communi; inde concludens, quod delegatus Papæ cum clausula, « Appellatione remota, » non possit subdelegare cum dicta clausula. Ratio est: tum quia hoc videtur esse privilegium personale, eo quod princeps, confusus de industria personæ delegati, commiserit illi causam examinandam sub clausula illa, « Appellatione remota: » unde istud non est transmissibile in tertium, sive in subdelegatum; tum quia delegare cum clausula, « Appellatione remota, » est proprium supremo principi, puta Papæ: cum iste solus contra jura appellationem permittentia rescribere, hancque removeare valeat, non item ejus delegatus. Engel, tit. de *Appellat.*, n. 35.

157. *A mero executore sententiæ nequit appellari.* — Resp. III. Nihilominus a mero executore sententiæ, seu cui nudum ministerium absque jurisdictione, seu causæ cognitione committitur, appellari non potest; nisi forte modum excesserit. Ita desumitur, ex d. c. *Super questionum*, § *Nos autem*, h. t., juncta Glossa, §. *Executores*, et Abbate, ibid., n. 11, ac aliis. Quia enim talis mere exequitur, quod sibi injunctum est, non possum prætere gravamen contra ipsum (nisi modum excedat), sed si sentio me gravatum, debeo appellare a committente, qui id jussit executori. Concordat, l. *Ab executione*, c. *Quorum appellat. non recip.*, et can. *Ei qui appellat.*, 2, q. 6, § *Ab executione*.

158. *Quando judex ordinarius causam delegavit, semper est appellandum a delegato ad delegantem.* — Quæritur II. Ad quem sit appellandum a delegato, vel subdelegato? Resp. I. Quando judex ordinarius causam delegavit, semper est appellandum a delegato ad delegantem, vel ejus successorem in officio. Textus est in l. 1, ff. *Quis et a quo appelletur*, et l. *Imperatores*, § 1, ff. de *Appellat.* Et hoc procedit, sive dein judex ordinarius totam causam delegaverit, sive partem tantum: quia, licet totam causam deleget, non tamen potest totam jurisdictionem a se abdicare, cum eam habeat propriam, et stabilem vi sui officii; unde adhuc a

delegato ad ipsum appellari valet. Pirbing, h. t., n. 107.

159. *Sicut et a subdelegato appellatur ad delegatum Papæ subdelegantem non in totum.* — Resp. II. Quando delegatus causam alteri subdelegavit, non tamen in totum, sed reservata sibi jurisdictione aliqua, v. g. sententia, vel saltem executione hujus; tunc pariter a subdelegato appellatur ad delegatum illum, qui subdelegavit: adeo quidem, quod si subdelegans fuit delegatus Papæ, regulariter non possit immediate appellari ad Papam: secus, si is subdelegasset causam in totum, nihil sibi de jurisdictione reservando, quia tunc a subdelegato appellatur ad primum delegantem, sive ad Papam. Patet hoc totum, ex d. c. *Super questionum*, § *Porro*, h. t., ac notat Glossa, ibid., et Abbas, n. 4, solventes contraria. Prima pars habetur etiam, in c. *Si subdelegatus*, 7, h. t., in 6, et l. un., c. *Qui pro sua jurisdic.*, nam, cum talis delegatus aliquid de jurisdictione sibi reservavit, merito ad ipsum, veluti immediatum judicem, appellari potest, et appellatur.

160. *Adeo, quod a tali subdelegato regulariter non possit appellari ad Papam.* — Altera pars, nempe quod in dicto casu regulariter (quod additur ob dicenda, num. 164 et seq.) non possit a subdelegato immediate appellari ad Papam, præter cit. § *Porro*, habetur quoque in c. *Cum te consulente*, 18, h. t., juncto Summario, Abbate, Barbosa, aliisque doctoribus ibidem. Ratio est: quia delegatus Papæ, qui subdelegavit non in totum, sed aliquid de jurisdictione sibi reservando, adhuc remanet judex, et gerit vices ipsius Papæ, atque in eo honoranda est potestas papalis, c. *Sane quia*, 11, h. t., cum concordantiis: et hinc, tum ad ipsius delegati honorem, tum ad parcendum partium laboribus, et expensis, Pontifex decrevit, ut in tali casu ad ipsum delegatum, non vero ad Papam, immediate appelletur. Vivianus, in *Rationali jur. canon.*, ad cit. cap. xviii, *Cum te consulente*. Quinimo in dicto casu temeraria foret appellatio ad personam Papæ: utpote quæ jam representatur, et habetur in persona sui delegati. Abbas, in d. c. *Cum te consulente*, num. 1, h. t.

161. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, can. *Ad Romanam*, 2, q. 6, cum similibus, ubi de omnibus mundi partibus, atque omisso medio, potest immediate appellari ad Papam, veluti communem omnium Patrem. Nam hoc procedit regulariter: fallit autem in præfato